
PAUPERTAS OPULENTA SIUE DE S. IUONE PAUPERUM PATRONO ORATIO HABITA IN EIUSDEM…

Giuseppe Sebastiani, Bartolomeo : da#Roma







ALEXANDRO VII.


Pont. Opt. Max.

Ioseph Sebastianus Seminarij Rom. Cler Fel.



ICARIAM Numinis Maiestatem expauisset oratio mea B.P. si non ex Iuonis beneficentia cum humanitate coniuncta, quam in te renascentem experior, audaciam reuerentia peperisset. Magni scilicet, pijque principis est non tam emeritos excipere beneuolentia, quàm beneuolè excipiendo facere merentes. Vnum tamen ab Iuone dissimile, quòd ille tantò libentiùs ad pauperum sordes demittebatur, quantò minùs dignitas prouocabat ad fastum: tu verò eò

demitteris gloriosiùs, quò magis à nobis distas imperij sublimitate: quasi mirabile hoc incrementi genus tua singularis virtus inuenerit, vt cum dignitate crescere non possit, crescat demissione. Detur hoc magnitudini tuæ, vt iustitiæ sit in conferendis honoribus benè de Republica meritos spectare: & vilia quæque, non despiciendo præterire, sed respiciendo attollere, tuæ solius sit humanitatis; Vtrumque tamen præstare, diuinum, & tuum. Quod enim offero, iustitiæ est, quia tuum: quòd dignaris accipere, humanitatis; quia cum offerendi facultatem concesseris, meum esse voluisti.



ORATIO.





I paupertatis calamitas ingentis patrimonij felicitati fuit vnquam ducenda: certè, Iuone pauperum patronũ in terris agente, largioribus diuitum thesauris debuit anteferri, quando ne quid vlli deesset, omnium egenum esse oportebat. Fuere quidem, qui pauperem opulentiam vocarent, habendi quippe cupiditas magnas inter opes excrescens non tam impletur copia, quàm irritatur: Fuere qui paupertatem opulentam dicerent, cum eius desideria iisdem, quibus natura, hoc est necessitatis fini-

bus circumscribantur, & nil cupientium, nullius pariter sit indigentia, quæ parens est cupiditatis. At, Iuone apud nos commorante, diues fuit paupertas, etiam, quia cupida, cum ex accipiendi votis liberaliter dandi ardor magis excitaretur. Adeste igitur, & dum ex Iuonis liberalitate diuitias in paupertate breuibus ostendo, liberalem pariter humanitatem vestram exhibete, eò præstantiorem, quò vestræ magis humanitatis indigus Orator accedo.

Et sanè quid vnquam defuit paupertati, quo tandem non afflueret Iuonis beneficio? Non illi suppetebant alimenta, quibus ægram, ac penè moribundam traheret vitam: sed delicatioribus abstinens epulis, vel teneris ab annis Iuo, & tres in hebdomada dies transigens ieiunus, quantum sibi detrahebat, tantum alienæ addebat necessitati, parsimoniâ suâ faciens alienam opulentiam, & ieiunijs suis alienum conuiuium. Dignum certè splendidè conuiuantibus documentum, qui vino, totoque ab orbe quæsitis dapibus indulgentes satietatem suam in fame penè consumptos distribuendi liberalitati tribuerunt. Iuo, vel naturæ necessitatem epulis fraudat, vt scirent mortales, erogationem in pauperes esse, quod dispensaret, non epulonis reliquias. Quod si forasse diripiendi vitio aliquando pauperum audacia clàm in Iuonis ærario grassaretur, id non

occasioni puniendi, sed erogandi vertebatur; quasi, licet ipse Iudicis æquissimi partes obiret, hoc solum impune delictum regnare vellet, ab Iuone furari: Si tamen furtum vocari posset, quod domino non inuito patratur, cum idem illi foret, & denegandi stipem exordium, & possidendi finis. Defuit fortasse paupertati patronus, qui momenta rationum expenderet, lites componeret, sententias ad Iustitiæ trutinam libraret, cum æquitatis cò lonces inclinent, quò auri pondus incumbit. Sed ex Iuonis tribunali nullis empta mercedibus prodiens sententia, tanquàm ex Apollinis penetralibus Oraculum excipiebatur; adeò vt iudicantis ex oculis defluentes lacrymæ, vel in damnatis reis veniam prouocarent. Scilicet par erat beneficium, & ab aliis Iudicibus absolui, & ab Iuone damnari. Quantum enim iacturæ Iuonis iudicio pauperes aliquando subibant, tantum ille de suo rependebat, Iustitiæ seueritatem humanitate donandi compensans. Sic potuit in aliorum incidere mentes opinio, vt vbi reliqui temperant à misericordia, vt iudicent, ipse solus iustitiam exerceret, vt erogando misereretur. Non alia paupertati vestis erat interdum, quàm quæ suffuso sanguine à pudore suppeditabatur. Sed Iuo, nec miserorum multitudine territus, aut apud vulgi opiniones ignominiâ sui minimè commotus, vt

con-

confluentes vndiquè turmas, & ad Xenodochia, & ad propriæ domus ostia operiret, seipsum non semel nudauit. Et quando paupertas pulcriùs indutam se dedit spectandam, quàm vbi, prædatrice charitate, spoliata exhibetur? Iuo siquidem vestibus exutus, vt aliorum nuditati succurreret, ostendebat, se non aliquorum liberalitatem imitatum, qui innocentium proscripta bona deuorantes, alios depauperant, vt alios ditent; tantâque pauperum contectâ multitudine spoliatum esse neminem, præter Iuonem. Exaruerat aliquando terra sterilitatis ad iniuriam: vbertate campi, pauperum greges alimentis fraudati, qualis Aegyptus Nilum, hoc est fæcunditatem suam, sic Iuonis opem ardentiùs innocarunt. Nec frustra: cum enim tantò liberaliùs plenas manus ad aliorum beneficium expanderet, quantò auariùs Cœlum sinum suum occluserat, neminem deprecantem vidit, quem impetrantem non dimitteret; vt Iuone superstite, vel annonæ caritate laborante mundo, abundantiam futuram constaret. Quid quod, cum ex liberalitate donandi, rerum ad inopiam redigeretur, desiderarunt ne pauperes opem, ad vitam? Desideralent pro fectò, si non renouato Seruatoris nostri miraculo, septem interdum, tribus aliquando panibus tam ingentem esurientium turbam explesset Iuo, vt vel reliquiæ ad multorum
fa-

ſamem compeſcendam ſatis eſſe potuerint. Quod ſi tam liberalis animus non alia ratione ſe dare valuit in orbis conſpectum, quàm rerum inopiâ: propè eſt, vt dicam, tanti fuiſſe: vt quemadmodum pelagi tempeſtates, & procelloſi turbines malaciam commendant; ſic ad amplificandam liberalitatis gloriam, indigentiam illam præceſſiſſe crediderim. De magni theſauri reliquijs non nihil in pauperes diſtribuere parum eſt: maximum verò ex inopia theſauros educere, vt diſtribuas: Illud non tam pietatis eſt, quàm copiæ argumentum, quemadmodum intumeſcentia flumina ſupra ripas in arentes campos etiam irrumpunt: hoc verò diuinæ ſolius eſt liberalitatis, quam nec dura paupertatis neceſſitas facere poteſt auaram. Quid perſequar ſedem, pauperibus ne dicam excipiendis hoſpitium, an templum gloriæ charitatis erectum? vbi regali veluti luxu, ſplendida conuiuia, non iam terræ magnatibus beneficium conferentibus; etiam dum accipiunt; ſed lacero centone properantibus egenis adornabantur. Ipſe pocillator diſcurrere, propinare, fercula apponere, dominium cum ſeruitute mutare, quaſi ſatis illi non foret, niſi pauperes diſcumberent domini potiùs, quàm conuiuæ. Tàm pulcrum ſanè ſpectaculum in terras è Cœlo latentem paupere ſub cultu Deum ſæpe deuocauit, forſan quia cæleſtes epu-

epulæ non ſaperent, quas Iuonis pietas non condiret; aut Cœlo parem ſedem exiſtimaret, vbi digna Cœlo charitas arderet. At ſi tantus in corporis paupertatem amor, qualis in animorum? Quoties eloquio tonantem, & linguæ fulmen vibrantem, non ad exitium, ſed ad ſalutem attoniti mirati Populi, hoc vnum ab alijs fulminibus experti diſcrimen, quòd illis erumpentibus è nube, pauci licet ictu, vicini tamen omnes metu ſternuntur: at hoc oris è ſinu exiliente, ne periclitaretur vllus, omnes timebant; Quoties ſopitas in aliorum pectoribus charitatis flammas excitauit, quas nec inundantium fluminum eluuiones reſtinguerent? Cum enim ſemel violentus alueo ſeſe torrens extuliſſet ingentibus fluminibus comparendus, aditum omnem Iuoni, quò minus cæleſtis amoris incendia propagaret, penitùs intercluſerat; quando gemina in diuortia fluminis abire viſa violẽtia, quaſi iam tunc in trophæum aſſurgere vellet liberalitatis, nunquàm rediit ad commercia, donec Iuo pariter animarum gregibus ſeſe coniungeret. Scilicet nunquam tutiùs præteruehitur charitas, quàm vbi verſatur inter naufragia, nec magis accenditur, quàm vbi tempeſtas violenta deuoluitur. Sic contraria hæc elementi crudelitas magnum probauit Iuonem, cuius tranquillitas ſolùm oſtendiſſet felicem. Longum eſſet ire per ſingula,

lá, & rebellantium tumultus ſedatos, & vindicatos ab hoſtium iniuria populos, priſtinæ ſecuritati reſtitutos innocentes recenſere: hoc vnum ſufficiat, quòd vbi Alexander, vel locorum aſperitate, vel longitudine decertare manu non poterat, victrix illius fama pugnabat: ſic quos vel multitudine, vel regionum interiacentium ſitu ſeiunctos populos, dicendo, vitiorum è ſordibus eripere non poterat Iuo, eius gloria feliciùs illud præſtabat: Quod ſi contumaciæ morbo confectus aliquis tàm ſanctæ curationis ferrum vel recuſaret, vel contemneret, nouo medendi genere corpore ægrotabat, vt meliùs animus ſanaretur. Fidem verbo facit Iuonis contemptor eques, qui perorantis è ſuggeſtu verba irriſionibus excipiens, quaſi certa iam pericula minuantur, quæ contemnuntur, & generoſitatis argumentum ſit ea ludibrio habere, quæ cæteri timeant, improuiſa paralyſi penitùs decubuit, vt quod obſequenti ſponte voluntate deſtitit timere, membris omnibus trepidantibus, vel inuitò formidaret. Et quis, dum exemplo tam ſingulari corporum, & animarum paupertati luculenter prouiſum, eam opulentam non vocet? adeò vt in poſterum nullum alimentorum genus, fœcunditatem nullam, nullam debellatis hoſtibus ſecuritatem orare fas ſit, niſi Iuonis patrocinium. Cum enim illo viuente ſanitatem ægri,
nu-

nudi tegumentum, alimenta famelici potiùs oblata possiderent, quàm impetrarent; quasi hoc vnum suo inter donandi gaudia doleret, rogari; diuitiæ pauperum, appellatione non immeritâ, ipse vocandus, vnum patrimonium, vna miserrimas inter calamitates felicitas. Hic ille gigas, qui Iuonis parenti obiectus in somnijs, parituram ipsam spondebat magnum virtute natum, qui vtrâque dexterâ, corporum scilicet & animarum curâ complectens orbem, ita singulis opitularetur, tanquàm reliquorum inopiam negligeret, ita reliquos omnes exciperet, tanquàm singulorum beneficio studeret. Nulla siquidem est spatiorum immensitas, quam liberalitas non contrahat, nec toto diuisa Oceano regio, quam non coniungat. Sic, Iuone patrocinante, pœnam paupertatis amare didicimus, non vt inopes essemus, sed vt ditaremur. Qui enim ita pauper est, vt nihil illi supersit petendum, quo indigeat, ille diues est satis.

LAVS DEO.